



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. VVernervs Martyr 19. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

nos odio habent. Facillimum est amare eos, qui bonis nos cumulant; hoc & impii, hoc Ethnici faciunt; amare inimicos Christianorum est. Examina Charitatem tuam juxta Christi dilectionem.

3. Christus nos amavit ut salvaret animam nostram: quantum potes, idem præsta proximo tuo. Nihil Deo gratius & proximo utilius, quam ex amore tuum amovere fratrem ab occasionibus peccandi: Mone, argue, increpa, ora Deum pro eo: O felicem! Si vel unam Christo animam lucrifaceres, pro cuius Redemptione pretiosam vitam Christus dedit. Tam pretioso munere ista Redemptio peragitur, ut homo Deum valere videatur. Hilar. Arelat.

## S. VERNERVS MARTYR

19. Aprilis.

*Si Christi esse vis, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs.*

Gal. 5.

**W**ERNERVS rustica ex Trevirensi agro progenies, egenis comparabat paratum diurno labore obsonium; vitrici asperitatē, ipse tam miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud paulò mansuetiores incidit: nam mapalibus fugientem, & esurientem cœnulâ exceperunt, quibus ne oneri forte

S a

hospes

hospes a symbolo, defixo humi baculo, novum è terra fontem salire jussit: à pastoribus digressus in feras incidit; annum enim agentem XIV. Judæi adhuc Christi in Christianis sanguinem sitientes capite pronò columnæ alligârunt, S. Hostiam ab ore repetituri: loris deinde ac ferro per omnia membra crudelissimè grassati satis docuerunt, quàm longè Apellæ omnem humanitatis sensum abjecerint; nam etsi triduo inter tormenta exacto omnium opem ac commiserationem exposceret, eam tamen neq; apud judicem argento corruptum reperit, inter acerbissimos cruciatus id unum habiturus solatii, quòd pendens demùm ad exemplum Christi animam efflavit. Cadaver ejus in speluncam abjectum est à judæis, ut à feris laniatum, credi posset, justà nihilominus ei cœlum persolvit; multâ face circum cadaver accensâ, quæ WERNERI innocentiam & Judæorum crudelitatem detexit.

*Ex Surio*

MEDITATIO

*De similitudine cum Christo habenda in tolerantia crucis.*

1. **W**ERNERUS inter Apellarum furias id unum solatii

solatij habuit, quod ad Christi exemplum pendens animam efflare posset pro Christo. Quis est in mundo, qui non pendeat in Cruce? sed quomodo? cum Latrone damnando pendent, qui blasphemant Deum, & averfantur, in quem respicere debent, Authorem salutis. O fatuitas! cruce scalâ cæli abuti, ut descendas in abyssum damnationis.

2. Pendent in Cruce cum Latrone liberando, quibus crux via est ad Dei agnoscendam justitiam, bonitatem, & sapientiam; justitiæ, se submitiendo ut reos; bonitatem amplexando, ut filius castigatus à Patre; Sapientiam adorando, quæ adhibendo media ad salutem attingit à fine ad finem & disponit omnia suaviter in negotio prædestinationis.

3. Pendent in cruce ad exemplum Christi, qui innocens oblatuſ est pro nobis, quibus sine culpâ sua crux affectuosè concupita & amore Christi innocenter tolerata est gloriatio & exaltatio. Tres cruces in uno loco erant, in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in media Christus alterum liberaturus, & alterum damnaturus. Aug. Epist. 43.

## S. AGNES POLITIANA VIRGO.

20. Aprilis.

*Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœperitis,  
carne consummemini.* Gal. cap. 3.

S 3

Natale